

Benedicti prout asseruit et suis successoribus subsidium, solatium et iuvamen.

13) Item sepedictus dominus Henricus protestatus fuit, quod si mutaverit locum habitationis predictae, hoc alia de causa non esset, nisi ex debilitate nature. Item domini Everhardus, Wilhelmus ac Thomas predicti protestati fuerunt, quod dominus Henricus prenominatus propriis expensis ac elemosinis aliorum procuravit capellam ac altare sanctorum Petri et Iohannis apostolorum ac reclusorium dedicari ac per suffraganeum reverendissimi patris nostri archiepiscopi Coloniensis consecrari totamque capellam ac domum eiusdem meliorari.

14) Item sepedictus dominus Henricus fuerat protestatus, quod hec omnia prescripta ac infrascripta in presentem scripturam conscribi procuravit pro libertate capelle sancti Benedicti prefate ex antiquo habita et in futurum perpetuis temporibus habenda.

15) Item predicti domini Everhardus, Wilhelmus ac Thomas dixerunt supradicta de capella, orto ac aliis omnibus quampluribus aliis hominibus utriusque sexus fore nota publica ac intra Tremoniam manifesta.

Quibus sic peractis memoratus dominus Henricus rector capelle predictae requisivit me notarium publicum infrascriptum sibi super premissa unum vel plura publicum seu publica conficere instrumenta.

Acta sunt hec in domo seu habitatione dicte capelle sita supra murum civitatis Tremoniensis, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu prescriptis, presentibus ibidem discretis viris domino Conrado Musebeke, rectore ecclesie sancti Petri Tremoniensis, Tidemanno Sedeler clerico Coloniensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Odbertus Meygerinch, clericus Traiectensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, quia predictis protestationibus sic ut premittitur factis aliisque omnibus et singulis premissis dum hec sic agerentur et fierent una cum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideoque hoc presens publicum instrumentum manu mea propria conscriptum exinde confeci. Quod meis signo ac nomine solitis et consuetis signavi per dictum dominum Henricum in testimonium premissorum requisitus.

---